*AUTHOR:*

HAAS, JACOB

*TITLE:*

DE L. ANNAEI SENECAE PHILOSOPHI MONITIS

*PLACE:*

MONACHII

*DATE:*

1878

Master Negative #

92-80461-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Haas, Jacob,
De L. Annaei Senecae philosophi Monitis; dissertatio inauguralis quam... scripsit Jacobus Haas. Monachii, Typos curaverunt J. Gotteswinter & Moessl, 1878.
40 p. $21\frac{1}{2}$ cm.

Thesis, Würzburg.



Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2/22/92 INITIALS TM
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

# AIIM

**Association for Information and Image Management**

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

# L. ANNAEI SENECAE PHILOSOPHI MONITIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

**JACOBUS HAAS.**

MONACHII
TYPOS CURAVERUNT J. GOTTESWINTER & MOESSL.
MDCCCLXXVIII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO ET ERUDITISSIMO

# DR. WOLFGANGO BAUER

**GYMNASII GUILIELMINI MONACENSIS**

RECTORI HUMANISSIMO.

## Caput I.

Libri qui inscribi solet ‚de moribus' sententiae cum multa habent, quae nondum satis sint emendata, tum quis eum condiderit, utrum L. Annaeus Seneca philosophus an alius quidam incerti et nominis et aevi scriptor, minime constat inter viros doctos. Nam origo Annaeana haud immerito in dubitationem vocari videbatur, non tam propter diaboli mentionem sent. 143 factam, (quippe extremas sententias postea additas esse pronum est suspicari), quam quod sententias 3 et 4 ex Lactantio (de instit. div. 3, 15. 6, 23) sumptas esse apparebat. Quare cum Fr. Haase[1]), clarissimus Senecae editor, ad hujus ipsius libri emendationem non multum attulisset, Ed. Woelfflin[2]), vir doctissimus, aliquot quidem libros manu scriptos[3]) adhibuisset, sed in quibus omnibus sententiae Lactantianae suos quaeque locos obtinerent, necessarium erat profecto etiam vetustiores codices adire et interpolatorum additamentis nondum inquinatos. Quo facto quaestionem de auctore et auctoritate illius libelli denuo instituere haudquaquam alienum erit, quoniam hoc tam felici adiumento multo certiora eruentur et litterarum latinarum historia aliquid incrementi capere poterit. Contulit autem vel potius transscripsit alterum eorum codicum, Parisinum saec. IX. ineuntis, cujus ope quaestionem de pristina libri forma et indole aliquantum

---

[1]) L. Annaei Senecae phil. opera Lips. 1853; ed. alt. 1872. vol. III. pgg. 462—467: ‚L. Annaei Senecae Cordubensis de moribus liber.' cf. praef. pg. XX. sq.

[2]) Publii Syri sententiae, Lps. 1869 pg. 136—148: ‚Incerti auctoris liber, qui vulgo dicitur de moribus.'

[3]) cf. Ed. Woelffl. pg. 136 adn.; noto illos codices littera M.

promovere licet, Ed. Woelfflinus; alterum, multo meliorem, item Parisinum, litteris uncialibus scriptum, rogatu Ed. Woelfflini Max Bonnet, nunc Parisinus et de litteris et graecis et latinis non uno nomine bene meritus. Ille cum propediem ipse novam libri de moribus adornaturus sit editionem, mihi tamen, quem Senecae philosophi opera accuratius pertractasse sciret, libenter concessit, ut eam disquisitionis partem, qua planum fieret, quid ad Senecam referendum esset aut cum magna probabilitatis specie ei vindicari posset, solus in me reciperem et in vulgus ederem. Sed priusquam ad ipsam rem transeamus, pauca praefari iuvat de codicibus Parisinis.

1) Cod. Parisinus lat. 4841. (P), saec. IX. membranaceus (cf. Ed. Woelffl. Phil. v. VIII, p. 681) non ab uno eodemque librario scriptus, continet fol. 1—14 geographica quaedam ex Orosio et Isidoro sumpta, fol. 15. 16. paucula quaedam, quae ad artem rhetoricam spectant (‚Quadrimoda est dicendi ratio et q. s.'), fol. 16 recto ‚PRECEPTA PITAGORAE', quae excipiunt fol. 16 verso: ‚aenigmata quae Aristoteles philosophus posuit'. Sequitur in eadem pagina extrema novus sententiarum ordo, distinctus majore littera initiali (*Q*uae sunt maximae divitiae et q. s.) Fol. $17^a$ novus titulus ‚DE ANIMI CONSTANTIA' proprium versum explet, sequente iterum littera maioris formae initiali (*L*ibenter fac quod necesse est), quam tamen novi quasi capitis divisionem errore librarii ortam esse infra videbimus. Quae fuerit causa, cur librarius fol. $19^a$ in sententia octogesima prima initio versus litteram itidem exararit praeter modum grandem (*A*morem etc.) in incerto relinquendum esse puto, cum quid voluerit, fol. $19^b$ in aperto sit. Habet enim codex fol. $19^b$ in sent. ‚*A*uribus frequentius quam lingua utere', praemissis verbis: SENTENTIAE CLEOBOLI; fol. $19^b$ in sent. ‚*V*ita etc.', cum in versu superiore legatur: SENTENTIAE SALONI. Simili modo fol. $19^b$ scriptum est: SENTENTIAE PITACVLI MITILINENSIS, fol. $20^a$ SENTENTIAE ASPRENI (i. e. Biantis Prienei), in eodem fol. SENTENTIAE PRIANDRI, infra SENTENTIAE CATONIS; fol. $20^b$ SENTENTIAE CATONIS ALTERI (= alterius), quae verba proprium versum explent; fol. $20^b$ SENTENTIAE RUFFI.



Fol. $23^a$ legitur epilogus quidam auctoris (‚Habes et q. s.'), qui totidem fere verbis iterum scriptus est fol. $44^a$.

2) Cod. Parisinus lat 10318 (olim suppl. lat. 685) Salmasianus (S), ab editoribus anthologiae latinae certatim laudatus ac nuper descriptus ab Alexandro Riese*) in praef. edit. anthol. vol. I. pg. XII. sqq., item ab Joanne Gildemeister in praefatione ad Sexti sententias pg. XIV sqq. Imaginem scripturae habes in Exemplis codicum Latinorum litteris maiusculis scriptorum (tab. 46) editis a Zangemeistro et Wattenbachio, qui iidem codicem circiter annum 700 scriptum esse statuunt, pag. 10. De externa forma monendum est sententias, de quibus hic agitur, incipere pag. 205 extrema, versu 29. (ac totidem versus in una quaque pagina leguntur) inde a verbis: ‚Quae sunt maximae divitiae' pg. 206; pg. 207—218 vero ad alius argumenti libros pertinere, sex foliis vitio bibliopegi male insertis, deinde continuari orationem pag. 206 interruptam pag. 219, finiri libellum pag. 228, v. 23. 24 in verbis ‚longa simulatio est EXPLICIT FELICITER'. Forsitan queraris de inscriptione librarii socordia omissa. At vide, quomodo liceat ex errore scribae ipsam veritatem eruere. Scilicet scriptum est pag. 228, v. 25. INCIP. LVCIANAEI SENICE MONITA. Sequuntur verba: ‚Licet cunctorum poëtarum carmina' et q. s., quae leguntur in principio libri de remediis fortuitorum, et pag. 238 in fine: LVCIĀNEI SENECE AD GALLIONEM FRATREM DE REMEDIIS FORTUITORŪ EXPL. Quid multa! Quae esse videtur inscriptio libri de remediis fortuitorum (Monita), potius dicenda est subscriptio sententiarum, ut subscriptionem et inscriptionem in unum conflatas esse existimem. Certe nomen ‚monitorum', ut parum respondet libro de remediis fortuitorum, ita aptum est sententiis illis moralibus. Atque de his statim videbimus; interim satis erit monuisse in codice Salmasiano neque ulla usquam addita esse philosophorum nomina neque litteris initialibus grandioribus totum sententiarum corpus in varias partes dividi.

*) Riese ipse has sententias pagg. 206. 219—228 Sexti esse existimavit, quod falsum esse etiam Gildemeister p. XIV. adn. contendit.

Proficiscatur autem disputatio nostra ab epilogo illo codicis P. (fol. 23 [a]), cujus exemplum infra scriptum est (fol. 44 [a]): ,Habes miruffeam (sic) congesta praecepta, in quibus dilatandis floribus philosophia versatur. Neque enim est quod putes aliam esse, quae in tot libris diffunditur. Haec seminum loco sunt et in exiguo totius operis continent summam. Bonus animus hominis deus est maximus; is si bonus est, dii sunt propitii.' Eadem verba, ut iam dixi, repetuntur in eodem codice fol. 44 [a], nisi quod librarius, si discesseris a rebus levioribus, secundum vocabulum haud dubie corruptum correxit in ,mirifice' et eodem versu ,congesta *omnium* praecepta' scripsit. Haec autem verba qui diligenter perlegerit, vix facere poterit, quin ea adeo redolere Senecae philosophi dicendi genus largiatur, ut suspicari liceat illa sive ipsa sive paululum commutata ex aliquo ejus libro qui intercidit sumpta aut certe eum qui conscripsit, libros Senecae diligenter lectitasse ejusque elocutionem feliciter esse imitatum. Simillimo enim modo philosophus librum de tranquillitate animi ad Serenum concludit, dial. IX, 17, 12: Habes, Serene carissime, quae etc. Deinde observandum est Senecam imperativum prohibitivum quem vocant sive negatione verbo addita (ex. gr.: ne putaveris) sive nolendi verbo ad infinitivum adsumpto (noli putare) rarissime adhibere, sed plerumque, ut fit in epilogo, uti circumlocutione *,non est quod.'* Cf. Non est quod *putes*: dial. II, 16, 2; 3; V, 3, 5; X, 7, 6; 7, 10; 8, 4; 12, 1; 16, 2; 16, 3: de bf. V, 15, 2; VI, 31, 10; ep. 110, 5; 113, 28. ,Non est quod *existimes'* undecies, n. e. q. *credas*, decies, n. e. q. *dicas* quater, n. e. q. *judices* quater, n. e. q. *mireris* sexies, n. e. q. *spectes* bis, n. e. q. *inputes* bis. Singulis locis: n. e. q. *cogites, dubites, disputes, desperes, exspectes, irascaris, indigneris, patiaris, utaris, respicias, velis, committas, invideas, contineas aut conprimas, nitaris, ignores, oneres, curras, contemnas, eligas, metiaris, quaeras, philosopheris, inscribas, timeas, verearis, laudes, suspiciamus, existimemus.* Praeterea illis verbis ,Haec seminum loco' ea quae in ep. 38, 2 exstant: ,seminis modo' respondent et iis, quae subsequuntur: ,in exiguo totius operis' ep. 53, 11: ,totum in exiguo' (cf.



ep. 34, 3: ,totum opus'). Adde, quod Seneca saepe de bono animo vel mente quasi de deo loquitur aut utrumque conjungit, quod est Stoicorum proprium. Cf. ep. 110, 1: ,Te saluto et iubeo habere mentem bonam, hoc est propitios deos omnes, quos habet placatos et faventes, quisquis sibi se propitiavit.' (De ,propitiis deis' cf. etiam ep. 22, 12; nat. qu. II, 59, 4; dl. VI, 13, 1; fragm. Sen. ap. Aug. de civit. dei VI, c. 10; Fr. Haase v. III. p. 425.) Ep. 31, 11: ,Animus rectus, bonus, magnus, quid aliud voces bonum quam deum in corpore humano hospitantem.' Cf. ep. 41, 1, 2, 5; 71, 16; 73, 16; 107, 12. His igitur locis satis me spero demonstrasse illa verba, quae in fine huius sententiarum sylloges scripta sunt, cum oratione Senecae maxime conspirare.

Quin etiam dixerit fortasse quispiam Senecam ipsum multa multorum philosophorum praecepta moralia collegisse et cum ea ad amicum quendam mitteret, illum epilogum conscripsisse. Quod parum probabile esse equidem existimo. Quis enim crediderit Senecam, qui pro ingenii sui ubertate tot amplissima opera composuit atque in epistulis ipsis de singulis philosophiae moralis partibus subtiliter disseruit, tam levibus studiis operam dedisse, ut syllogen sententiarum ex aliorum suisque operibus congereret? Accedit, quod qui epilogum scripsit, quamquam non flores undique nullo delectu habito decerpere, sed viam honestae ac beatae vitae monstrare voluit, tamen ,omnium' sapientium placita congerere potuit. Illi enim cum de multis et elegantioribus ac difficilioribus rebus in diversas partes abeant, de plerisque autem et iis quidem, quae ad philosophiam moralem spectant, consentiant, alia quae displicebant omittere, alia quae placebant eligere licuit. Jam vero quod inscriptiones ipsae codicis P sententias complurium philosophorum in unum corpusculum congestas esse clamant, non est quod ,omnium' ad illos sapientes solos non restringamus. Quod deinde epilogus fol. 44 [a] iterum scriptus est, documento esse putaverim illum totidem fere verbis saepius esse usurpatum, ut aliquis libellus concluderetur. Neque vero negaverim inter sententias Annaeanas dicta quaedam Epicuri, quaedam Socratis,

unum Theophrasti, unum Athenodori immixta esse: ea autem in Senecae libros iam recepta cur ille qui has sententias collegit non potuit decerpere? Quid? Seneca ipse si opusculum sententiarum constituisset, nonne illa dicta in unum locum, ut par erat, contulisset? Denique suspicio admitti non potest Senecam ipsum a Graecis, dico a VII Sapientibus, praecepta sumpsisse, ea autem non in fine aut initio, ut oportuit, sed in medio opere quasi sui ingenii fetum inseruisse. Potuit igitur ille multorum virorum flores decerpere et tamen in opere suo constituendo unam bene vivendi disciplinam sequi, eam scilicet, quam unice veram esse sibi persuaserat; eam autem esse Stoicorum et epilogus et sententiae ipsae satis declarant. Quare hoc colligi posse videtur scriptorem fuisse Stoicorum doctrinae asseclam et eas tantum aliorum philosophorum sententias immiscere potuisse, quae illi non repugnarent.

Illud pro certo affirmare ausim sententias horum codicum ex scriptoribus, qui fidei Christianae non essent addicti, excerptas esse. Nam ut omittam extremam sententiam istius epilogi in codice P a praeceptis Stoicorum nihil abhorrere, imprimis certissimo sunt argumento verba: ‚dii sunt propitii.‘ Et profecto ne una quidem sententia deprehenditur, quae certam fidei Christianae imaginem prae se ferat; immo vero non desunt, ex quibus procul dubio contrarium appareat. Cf. fol. 21 [a]: ‚Mundum deorum templum‘; S p. 223, v. 29: ‚di boni‘. Haec res eo maioris est momenti, quod illi codices, qui adhuc editoribus libri de moribus praesto fuerunt, sicut supra ostendimus, complura continent, quae ingenia hominum Christianorum aperte prodant, id est, quae interpolationi debeantur.

Denique maximi ponderis est, quid ex corrupto vocabulo ‚miruffeam‘ vel ‚mirifice‘ eliciendum sit. Equidem cum quid adverbio ‚mirifice‘ scriptor quasi sui laudator voluerit, prorsus non assequar, ex verbo ‚habes‘ vocativum potius nominis proprii, velut apud Senecam (dl. IX, 12), deducendum esse conicio. Jam comparanti titulum fol. 22 [b] scriptum (sententiae Ruffi) ‚mi Ruffe iam‘ restituendum esse videri possit, quamquam et mirum est libellum ad eum mitti, cuius ipsius sententiae insunt, neque Rufus ille, quis fuerit, perspicitur. Qui alteram lectionem (‚mirifice‘) pro fundamento ponere maluerit, facili negotio emendabit ‚mi Rufine‘ aut ‚mi Rufine iam.‘ Sed de Rufo illo vel Rufino quoniam mihi nondum liquet — sunt enim multi huius nominis — nolo hoc loco hariolari. Interim, donec certiora edoceamur, conf. Paulii Encyclop. s. v. et de Rufino Christiano Adolf Ebert, Geschichte der christlichen lat. Litter. 1874. I. 308 sq.



Ut de auctoribus harum sententiarum certum judicium facere possimus — id enim nunc agam — primum nobis de **inscriptionibus** videtur quaerendum esse, quae in codice P insunt, cum in S et illis codicibus, quibus antea Ed. Woelfflin et Fr. Haase usi sunt, desint. Atque ut ab illis incipiamus, quae suis locis defendendae sunt, minime dubito, quin ‚Praecepta Pythagorae‘ in fol. 16 [a] recte sequentibus sententiis praefixum sit, quod omnia, quae praecipiuntur, disciplinae hujus viri conveniunt. Sequuntur in eodem folio ‚aenigmata, quae Aristoteles philosophus posuit‘, quae se recte habere cognoscitur ex Aristot. frag. p. 71 ed. Didotianae 1869, vol. V. p. 1512. edit. Berol. 1870. Haec et praecepta Pythagorae cum iisdem fere verbis expressa apud Hieronymum (contra Rufinum, l. III. cp. 39. ed. Vallars. vol. II. p. 565) legantur, non est dubium, quin illa ab Hieronymo conscripta, postea autem ex eius libro desumpta atque his sententiis praemissa sint.*) Quod eo manifestius fit, cum eadem Pythagorae dicta Senecae libro, qui ‚de moribus‘ vulgo inscribitur, in recentioribus codicibus, qui Fr. Haasio praesto fuerunt, in fine adiecta exstent. (cf. Sen. opp. v. III. pg. 467. Sent. 144. 145), cum in vetustissimis codicibus, quibus Woelfflinus usus est, desint: illam autem interpolationem ab homine Christiano factam esse ex praecedente sententia ‚de diabolo‘ scripta satis intelligitur. Sed et praecepta et aenigmata Senecae abiudicanda esse apparet, quod neque accusativi cum infinitivo verbo regente non addito, qua forma duo praecepta ex-

---

*) Cf. Goettlingii opuscul. I. 278 seqq. et Mullachii fragmenta philosophorum graecorum I. 504 seqq.

pressa leguntur (‚Amicorum cuncta esse communia etc.‘ et ‚Post deum veritatem colendam etc.‘), in philosophi libris inveniuntur neque coniunctivi adhortativi temporis praesentis cum negatione coniuncti, quales in aenigmatis sunt (‚ne transsilias‘, ‚ne fodias‘, ‚ne ambules‘) aut Senecae placuerunt (cf. supra pag. 4) aut in ceteris sententiis usurpantur. Septem vero quos vocant sapientium dubitari non potest, quin recte se habeant Cleobuli, Solonis, Pittaci, Biantis, Periandri nomina. Neque enim solum paucissimis verbis absolutae sunt illae sententiae, qui mos erat VII Sapientium, et complures more Graecorum infinitivo expressae, veluti ‚fidem servare, iniuriam pati‘, sed etiam Stobaeus in floril. 3, 79. 80 re vera eas septem Sapientibus tribui confirmat. Quamquam utrum sint omnia in P ad suos quaeque philosophos recte relata necne, hoc loco exponere longum est. Denique quae sententiae Catoni (sc. maiori) adscribuntur, earum maximam partem vere Catonis esse iam Ed. Woelfflinus (Philol. v. VIII, 680 sq.) coll. Plutarchi apophth. ita demonstravit, ut Jordanum in Catonis fragmentis pag. CVIII et in museo Rhenano 14.275 dubitationi locum dedisse mirer. Immo veri simillimum est etiam illas, de quibus Woelfflinus dubitavit, (‚Satis est heredi largiter superesse quam ipsi parum esse‘, ‚Iniuriae obviam ito‘) et propter ipsam indolem ac naturam praeceptorum et propter orationis asperitatem ad Catonem referendas esse.

Illas inscriptiones quoniam suis locis non esse removendas evicimus, tamen a fide huius codicis Parisini nostro iure in inscriptione ‚CATONIS ALTERI‘ (alterius) fol. 20[b] discedere nobis videmur. Nam ne commemorem Catonem alterum, qui vulgo Uticensis appellatur, nihil scripti reliquisse, magis etiam meo quidem iudicio mirum videretur, si ceterorum sapientium tam paucae sententiae (octo Solonis, tredecim Catonis Censorii), huius autem tam multae — sunt enim sexaginta quinque — in sententiarum corpus essent receptae. Ne illud quidem suspicari licet dicta praeclarissimi libertatis propugnatoris Stoicorum sectam professi in ore hominum fuisse et postea demum litteris consignata esse, quia Seneca, et ipse a Stoicorum disciplina non alienus, qui vitam eius passim describit atque collaudat, duo tantum dicta (dl. IV, 32, 2; V, 38, 2) affert. Postremo isti inscriptioni illud quoque obstat, quod complures sententiae, quae nomine Catonis alterius proferuntur, certe ex Senecae philosophi libris qui ad nos pervenerunt, sumptae sunt, ut infra docebimus. Neque id negligi velim, quod nonnullae ex his sententiis in tantum ambitum excreverunt, ut nemo infitiari possit illas excedere modum reliquorum dictorum. Quid quod sententiae ipsae, quae maxima ex parte ad mores spectant, parum conveniunt moribus Catonis Uticensis? His rebus ductus cum ‚Catoni alteri‘ nihil tribuendum esse censeam, non difficile est explicare, qua ratione haec interpolatio orta sit. Nam librarius, cum sententias Catonis maioris haberet exscriptas, alias sententias, quibus nomen auctoris non erat adscriptum, ad certum tamen auctorem referre voluit, itaque eas a prioribus distinxit. Quod autem nomen ei potius praesto fuit quam Catonis ipsius, quem de moribus scripsisse constabat, cuius ferebantur quattuor distichorum libri sententiis moralibus referti, quique per totum medium aevum adeo inclaruit, ut eius nomine sapientissimus quisque significaretur? Quidni sumamus librarium quoque, qui codicem P scripsit, ‚Catonem‘ posuisse pro homine sapiente eoque Romano? Adde etiam, quod certe mirum est, supra simpliciter nomen ‚Catonis‘ scriptum esse, cui addendum cognomen utique fuit, si primus florilegii auctor atque conditor utrumque cognomen distinctum voluit, praesertim cum aliis quoque locis cognomina adhibita sint, ut fol. 19[b] ‚Pittaci Mytilenensis,‘ fol. 20[a] ‚Biantis Prienei‘. Sed haec quidem mea est suspicio; alii fortasse meliora invenient.

Quae cum ita sint, nihil puto officere, quominus inquiramus, ad quem auctorem hae sententiae nomine Catonis alterius insignitae referendae sint. Equidem autem infra demonstrare conabor plurimam partem certe Senecae philosopho vindicandam esse.

Illae quoque sententiae, quae in codice P inde a fol. 16[b] (‚Quae sunt maximae divitiae‘) usque ad fol. 19[a] (‚Quietissimam...‘) nullo nomine auctoris addito leguntur,

et a quibus codex S incipit, Senecae tribuenda esse mihi videntur. De octo sententiis in codice P fol. 19 recto perscriptis (‚Amorem' — ‚Pecunia') probabilem coniecturam proferre non audeo, utrum Senecae an VII sapientibus, veluti Thaleti et Chiloni, vindicandae sint. Nam sententiam ‚Optima dos est uxoris pudicitia' cum Ausonius *) assignet Bianti, sententia ‚Sic vive ut memineris te quo primo die natus es capitis esse damnatum' aliquid Catoniani habet coloris (Cf. Cato ap. Sen. ep. 71, 15). Paronomasia vero verborum ‚natus' et ‚damnatus' in eadem sententia aliaque Senecae potius propria sunt; cf. epist. 71, 15: ‚Omne genus humanum morte damnatum'; ep. 91, 12: ‚Omnia mortalium opera mortalitate damnata sunt'.

Denique de inscriptione ‚SENTENTIAE RVFFI' dicendum est. Atque ut statim, quid sentiam, aperiam, subit semper animum meum cogitatio eiusdem viri nomen hic commemorari, ad quem epilogum scriptum esse vidimus, praesertim cum et hoc loco et illo (‚miruffeam') littera F geminata sit. Quare in hanc partem inclino, ut, cum ‚mirifice' ex interpolatione ortum esse existimem, Ruffinum potius missum faciam, Ruffi sententias vero per errorem dictas esse credam eas, quae re vera ad Ruffum datae essent. Quoque magis mihi persuadeo librum de moribus, qualem nunc manibus tenemus, ex variis scriptis compositum esse, cuius rei exemplum habuimus in Catone altero, eo propensior sum, ut credam librarium sententias Rufianas, id est, ex sylloge ad Rufum missa petitas opponere voluisse aliis alius originis, veluti Pythagoraeis, Catonianis. Sed ut concedam incertam esse hanc meam coniecturam, multo magis ipsa nonnullarum sententiarum indoles ac natura et rebus et verbis prodit originem Annaeanam.

Omnia quae adhuc exposuimus si comprehendimus, haec statuere licet:

1. inscriptiones Praecepta Pythagorae, Aenigmata Aristotelis, Sententias Cleobuli, Solonis, Pittaci, Biantis, Periandri, Sententias Catonis recte se habere;
2) octo sententiae fol. $20^a$ cuinam tribuantur, in incerto relinquendum esse;
3) Sententias Catonis alterius et quae sunt in fol. $16^b$ — f. $19^a$ maxima ex parte ad Senecam referendas esse, etsi complures iis immixtae ex libris aliorum philosophorum petitae sunt.
4) ‚Ruffi' sententias non abhorrere a disciplina et dicendi genere Senecae.

*) Cf. Woelffl. l. l. pg. 149. Bias 4. Sed similis quoque sententia legitur ap. Sen. dial. 42, 16, 4: ‚maximum decus visa est pudicitia'. Cf. ‚de matrimonio' frag. 78. 79.



De titulo libelli nihil pro certo affirmari potest. Nam ‚praecepta' (P fol. $16^a$) optime illa quidem ad Pythagoram referuntur, cum quae discipulos docuit omnia re vera praeceptorum instar essent; quod autem idem vocabulum in epilogo (Habes . . congesta praecepta) legitur, casui potius tribuendum est, cum ipsa VII Sapientium et Catonis dicta in eodem codice dicantur ‚sententiae'. Subscriptio denique codicis S, si recte ad sententiarum collectionem supra revocavimus, novum suppeditabit ‚Monitorum' titulum, quod vocabulum Cicero passim cum praeceptis coniunxit, ut or. Philipp. 14, 7; ep. ad fam. 5, 13, 3. Neque codices, quos Woelfflinus (Publ. Syri S. p. 136) contulit, multum lucis afferunt, cum alius alium exhibeat titulum: ‚Liber Senecae', ‚Proverbia Senecae', ‚Liber Senecae de institutione morum', ‚Senecae liber de moribus' vel similes.

Denique codices S et P si inter se comparabimus, primum eos de numero sententiarum multum discrepare intelligemus. P aliquot sententias solus continet; ex eo numero sunt ‚praecepta Pythagorae', ‚aenigmata Aristotelis', praeterea ab illa sententia, in quam S desinit (‚Sit aliquis etc.') plus quam triginta sententias. In media autem parte, quae in universum cum S congruit, paucae in eo solo inveniuntur; sunt autem hae: f. $16^b$ ‚Deus mercedem a bono non exigit, a malo non recipit', quae dubito, utrum a Stoico sapiente an ab homine Christiano scripta sit. Fol. $17^b$ ‚Nihil tibi commiseris' et quae sequuntur. F. $18^b$ ‚At mehercules satius est odio deesse constantiam' quam interpolatam esse negaverim, cum

potius sumpta esse videatur ex Senecae libris, ubi persaepe atque constanter ‚at mehercules' legitur. F. 20ᵇ ‚Tempori parce; nullius enim rei tanta inopia quam laboramus temporis'. — ‚Omnis justitiae locus tutus est, nullus iniuriae'. — ‚Tantum ad virtutem adicies, quantum ex voluptate detraxeris'. F. 21ᵃ ‚Mundum deorum templum' et quae sequuntur. F. 19ᵇ et 20ᵃ leguntur viginti sententiae VII Sapientium, quae in S desunt, una Cleobuli, octo Solonis, septem Pittaci, una Biantis, tres Periandri. Denique f. 21ᵇ ‚Regnantibus peius est periculum quam servientibus; hi enim singulos, illi multos timent'. In hac igitur parte P Salmasianum duodeviginti sententiis superat. Accedunt, ut modo dixi, a f. 22ᵃ usque ad f. 23ᵃ triginta duae, quas ideo, quia in S desunt, minime in suspicionem vocaverim; immo ita veritatis numeros implent, ut exemplum, quo usus est librarius codicis S, in fine mutilum fuisse aut potius, si integrum fuit, illius industriam in transcribendo exhaustam esse existimem.

S autem in illa parte, quae cum P in universum conspirat, quinquaginta sententias proprias sibi vindicat: p. 206 duas, p. 219 totidem, p. 220 quattuor, p. 221 totidem, p. 222 septem, p. 223 undecim, p. 224 quattuor, p. 225 duas, p. 226 quinque, p. 227 totidem, p. 228 quattuor, quas cum infra magnam partem prolaturus sim, hoc loco adscribere supersedeo. Sed forsitan mireris, quod in Salmasiano admodum multae codicis P sententiae, quas supra attigi, deficiunt, in quo numero potissimum sunt sententiae Graecorum; omittit enim praeter praecepta Pythagorae et aenigmata Aristotelis sententias Solonis, Pittaci, Periandri omnes; Cleobuli sex habet, quibus unam novam addit (‚disce fortunam ferre'), unius interpolationem (‚optimum enim est etc.') recte omittit; Biantis denique sententia ultima (‚Religiosis crede de numine') deest, — haec dubito an ab homine Christiano interpolata sit —, secunda autem (‚Rebus bene gestis gloriam para') ita amplificata exstat: ‚Rebus bene gestis gloriam para, officiis amicos, beneficiis clientes, vita famam, labore sapientiam, pecunia liberalitatem, silentio pudorem', ut verborum inanitas interpolatoris manum prodat. Quae res cum ita se habeat,



licet suspicari eum qui hoc sententiarum corpus (S) conscripsit, illas, quae nomina Graecorum prae se ferunt, respuisse, quae Romanorum, praetulisse, nisi magis probabile est Graecorum sententias ab interpolatore insertas esse. Constat igitur codicem S omnium qui adhuc noti sunt sententias integerrimas continere.

Quod ad ordinem sententiarum in utroque codice pertinet, nihil notandum est, quo inter se discrepent, nisi quod aliquoties duae sententiae alio ordine sese excipiant. Nam tribus locis ordo sententiarum codicis S (p. 219, 6. 1. ‚mala conscientia' etc. 2. ‚da operam' etc. 219, 15 1. ‚Vive tamquam' etc. 2. ‚Honestius est' etc. 220, 11 1. ‚Multos.... itaque omnis' etc. 2. ‚Utendum est' etc.) in P. f. 17ᵇ et 18ᵃ negligentia librariorum (codicis P, ut opinor) inversus est. Praeterea altera quoque discrepantia deprehenditur f. 20ᵇ codicis P, ubi una sententia (‚Cum alios tu maxime (?) verere; nam sine aliis saepe, sine te numquam possis') in fine sententiarum Catonis (sunt autem tredecim), sed in S (p. 225) quinto loco posita sit; qua ex re conicio librarium codicis P hanc sententiam supra suo loco negligentia omissam in fine addidisse.

Multo maioris momenti esse contendo, quod in utroque codice complures sententias vel iisdem vel simillimis verbis repetitas invenimus. Quas ut examinemus simulque quo quaeque loco retinenda, quo delenda sit, in P sex sententiae ad verbum bis scriptae sunt. 1) ‚Amicos secreto admone, palam lauda' f. 22ᵃ inter Catonianas sententias legitur, f. 19ᵃ nullo auctore inscripto, ubi cum etiam M (= liber de moribus) habeat, tenenda est. 2) ‚Mala domestica occultare' f. 19ᵇ inter Cleobuli dicta refertur his verbis praemissis: ‚Sic cum uxore vive, ut extra domum nec an ames notum sit nec an litiges; optimum enim est', item in eadem pagina inter Solonis. Priore loco cum in S desit, propter similitudinem praecepti verbis ‚optimum *enim* est' praemissis videtur adiecta esse. Quid quod nulla ex VII Sapientium sententiis tam multis verbis expressa est! Ceterum alii Thaleti, alii Pittaco eam vindicant (Stob. flor. 3, 79, 5). 3) ‚Tempori parce' f. 20ᵃ

recte Pittaco (,χρόνου φείδου' Orelli, op. mor. I, 150. Stob. 3, 80, 38 et 151. Sen. ep. 88, 39. 94, 28) tribuitur, f. $20^b$ falso Catoni alteri, ubi, ut opinor, alteri sententiae ,nullius *enim* rei tanta inopia quam laboramus temporis' ex praecepti similitudine praemissa est, praesertim cum dimidiae partes huius sententiae in S nusquam in unam conflatae exstent. Et poterat fortasse eum, qui dictum Catonianis inseruit, in errorem inducere Sen. ep. 94, 28, ubi primum duo Catoniana memorat, deinde pergit ,Qualia sunt illa aut reddita oraculo aut similia: Tempori parce. Te nosce.' 4) ,Somno pro servo, non pro domino utere' f. $20^b$ recte ad Catonem maiorem refertur, cum S quoque hoc loco eam exhibeat, iniuria autem ad Catonem alterum f. $21^b$, ubi ab aliquo interpolatore alteri sententiae ,turpe est *enim* orientem solem raro videre' anteposita est. 5) ,Nullius rei tanta inopia, quanta laboramus temporis' f. $20^b$, ubi cum et in S legatur, retinenda est, ita tamen, ut verba ,tempori parce', ut supra dixi, ab ea seiungenda sint. Falso f. $21^b$ inter eiusdem ,Catonis alterius' sententias repetitur. 6) Sententia ,Nec abiciat te calamitas nec felicitas efferat' bis et in P (f. $19^b$ et f. $17^a$) et in S (p. 224 et 216) post sententiam ,In infelicitate te erige, in felicitate submitte' verbis ,id est' praemissis scripta est. Sed cum Stobaeus (,εὐποροῦντα μὴ ὑπερήφανον εἶναι, ἀποροῦντα μὴ ταπεινοῦσθαι') eam Cleobulo vindicet, nemo potest dubitare, quin priore loco damnanda sit, praesertim cum ,id est' interpolatorem satis prodat. Haec autem repetitio cum etiam in S legatur, ex quo codicem P non fluxisse apparet, admodum docet iam in archetypum hoc vitium irrepsisse.

Praeter istam sententiam, quam modo attigi, in S solo duas sententias iisdem verbis bis scriptas esse videmus. 1) ,Quomodo vitabo invidiam rerum secundarum? Si felicitatem tuam paucis jactaveris multis diviseris' pg. 222, v 7, item sequenti pagina v. 12, ubi ,devitabo' scriptum est. De huius sede nihil certi judicare audeo. 2) ,Qui paupertatem timet, di boni, quam timidus est?' p 223, v. 11 et iteratur in eadem pag. v. 29. Quam putaverim posteriore loco esse



retinendam, cum etiam in ordine M, qui in universum cum S P conspirat (cf. infra), hoc loco posita sit.

Quae cum ita sint, haec licet colligere:

1) In utroque codice totae sententiae consulto interpolatione bis scriptae sunt, id quod maxime vocabula ,enim' et ,id est' ad conectendas sententias addita declarant. Quare non est dubium, quin utrumque, sed alterum magis altero, ex tali exemplari exscriptum sit, quod et ipsum hoc modo iam interpolatum erat.

2) Constat hanc sententiarum collectionem non ab ipso auctore talem compositum esse, qualis nobis offertur in codd. S P; neque enim verisimile est illum in tantum errorem delapsum esse, ut easdem sententias duobus locis collocaret. Ille enim codex, qui Parisinorum S P quasi parens est habendus, non potest fuisse ipse auctoris liber, sed primarium fontem ad avum quendam vel abavum vel tritavum referamus necesse est.

Restat, ut de glossematis codicum disputemus. Qua in re satis habeo luculentis exemplis ostendere, quomodo sententiae vel deletis vel additis vocabulis quibusdam vel circumscriptionibus paullatim sint corruptae. Ut autem accuratius intelligamus, qua ratione pestis interpolationis inceperit, mox latius grassata sit, a re proposita non temere puto me digredi, si ex codicibus et editionibus libri de moribus (M) quaedam comparabo.

Ac primum quidem certum est maximam partem sententiarum codicum M ex eodem fonte haustam esse, ex quo S P fluxerunt. Itaque ex illis 143 sententiis, quae et Haasii et Woelfflini editionibus communes sunt (nam ultimas duas Fr. Haasii Woelfflinus recte omisit, utpote in recentioribus tantum libris traditas, aliquot novas ipse primus addidit ex vetustioribus recuperatas), plus quam duae partes, circiter centum, in his codicibus, sive in utroque sive in alterutro, insunt. Praeterea novae sententiae quadraginta et quod excurrit in hunc librum congestae sunt.

Ordo singularum sententiarum etsi magnam partem est idem, tamen in M magis turbatus quam in S P. Sunt

enim nonaginta quinque, quas M cum S P communes habet, de quarum ordine haec licet adnotare. Priores quadraginta quattuor sententiae, quas M continet, in S P prorsus desunt praeter decem (30. 6. 8. 9. 10. 11. 13. 14. 15. 12) hoc ordine, quem adscripsi, ita tamen, ut inter alias sententias interiectae longissime distent. A sententia 44 usque ad sent. 57 in S P sunt sex (45. 46 47. 49. 50. 52), quae ipsae quidem eodem ordine se excipiunt, sed inter alias usque ad sent. 99 dispersae sunt. A sententia 47 usque ad sent. 141 omnes in S P exstant praeter octo (95. 102. 103. 105. 112. 134. 136. 139); quae in S P quoque leguntur, eodem ordine subsequuntur, nisi quod sentt. 94—100 et 130—135 transpositae sunt.

Maxime autem mirum est, quod ex prioribus 44 sententiis non plus quam decem eaeque per totum librum dispersae inveniuntur, quare non alienum videtur hoc loco disserere, quid de initio libri M sit iudicandum. Atque Proverbiis (= $\pi$), quae Ed. Woelfflinus (Publ. Syr. sent. p. 90 sq.) litteris inclinatis exprimenda curavit, collatis primum statui potest $\pi$ propius abesse a M quam a S P, quod cum illo septuaginta fere, cum hoc quadraginta fere sententias communes habet. Iam cum ordo proverbiorum et a M et a S P permultum discrepet, ordo sententiarum, quas M continet, maximam partem cum S P congruat, ordinem proverbiorum plane eversum esse nemo erit qui infitietur. Videlicet qui proverbia in locum versuum Publilianorum substituit, magis ordinem litterarum secutus est quam sententias ipsas ideoque singula verba, praesertim, a quibus exordium sumunt, mutavit. Sed si priores quadraginta quattuor sententias libri M respicias, nonne iure mireris, quod ex eis in S P tredecim, in $\pi$ autem triginta quattuor exstant? Quid igitur? Ut paucis dicam, illae sententiae propriam mihi videntur epitomen continere, quam aliquis ex Senecae aliorumque libris consarcinavit et eam quidem mutilam alius illi sententiarum collectioni, quae in S P exstat, praemisit.

Ut ad numerum sententiarum transeamus, M duodeviginti sententias continet, quae in S insunt, in P autem desiderantur: 63. 64. 69. 10. (cuius sent. posterior pars etiam in P f. 18ª legitur) 80ª. 86. 87. 91/92. 93. 96/97. 99. 100. 114ª. 119ª. 119ᵇ. 120. 123/124. 125/126. Inde colligitur sententias libri M ex aliquo exemplari exscriptas esse, quod in hac quidem parte plenius erat quam P, sed ipsum non tot habebat sententias, quot S. Quod autem in hac parte in P multo minor sententiarum est numerus, quam in S et ne una quidem nova legitur, omnino M et P comparari non posse apparet. Sed qua in parte S deficit, in illa M quattuordecim sententias cum P communes habet: 128. 129. 12. 130 132. 132ª. 131. 135. 137. 138. 140ª. 141. Itaque antea fuit aliquod exemplar, ex quo P et M maiorem numerum quam S desumpserunt. Iam vero ex illis quae in M solo leguntur sententiis multae nomini Senecae certe addicendae sunt. Ut illas omittam, quae etiam in S P inter Annaeanas leguntur, sententiae 35 et 36 in unam conflatae iam a. 567 p. Chr. n. in Concilio Turonensi II. can. 14 nomine Senecae citatae sunt (Haase, praef. ad Sen. vol. III. p. XX); sent. 39—43 ex libro de rem. fort. (II, 3. VII, 1—3. VIII, 2) sumptae sunt. Sent. 19. (Sen. de prov. 6, 6), s. 21 (de ira II, 32, 3), s. 48 (ep. 3, 2) s. 44 (cf. Mart. Dum. de form. hon. vit. 3, 1. Sen. ep. 8, 5) s. 65 (ep. 97, 13. ep. 105, 8), s. 73 (ep. 114, 1) s. 139 (Sen. Thyest. 1107 Peip.; de clem. 1, 13, 2), videntur Senecae esse. At quaedam sunt Ciceronis (§ 18 = de sen. 18, 66; § 20 = de amic. 6, 22; cf. Sen. ep. 3, 2), alia Lactantii (§ 3 = Lact. instit. 3, 15; § 4 = inst. 6, 23, § 29 = inst. 5, 10), alia hominis Christiani (§§ 55 et 143, id quod ex vocabulis ‚eleemosynae', ‚diaboli' colligas, nisi putes haec interpolata esse). Quae argumenta comprehendenti suspicari licet olim ‚L. Annaei Senecae' librum de moribus recte inscriptum fuisse, posteriore autem tempore multas sententias ex aliorum virorum libris sumptas illisque adiectas esse.

Sed ut ad rem propositam revertamur, aliquot exempla proferemus, quibus singulas sententias vel negligentia vel inscitia librarii distractas, postea autem plane mutatas esse facile intelligi poterit.

*1) Tu vivis tamquam numquam moriturus, tu tamquam statim. Uterque peccatis: tu enim de hodierno, tu de crastino nihil cogitas; itaque vive tamquam victurus, et rursum vive tamquam moriturus.* (S. p. 220.) Huius sententiae, quae hoc loco recte legitur, cum posterior pars in eodem codice (p. 219) iterum scripta sit, iam prioribus saeculis p. Chr. disiuncta erat et in P, ubi duobus locis exstat (f. $17^b$ ‚Vive tamquam victurus, vive tamquam moriturus', f. $18^a$ ‚Tu vivis tamquam moriturus, tu moreris tamquam victurus') corrupta ac mutila est, quae fortasse causa fuit, cur in M omitteretur.

*2) Tristis eris numquam, si totiens tibi in omni incommodo dixeris: homo sum. || Quomodo vitabo invidiam rerum secundarum? Si felicitatem tuam paucis iactaveris, multis diviseris.* (S. p. 222) Has sententias, quarum prior in P f. $18^b$ totidem verbis scripta exstat, altera autem deest, M (90. 91. 92) ita exhibet: ‚Numquam sit tristis facies tibi in incommodo alterius. Homo sum: quomodo devitabo secundarum rerum invidiam? Si felicitatem iactaveris, cum multis dives eris.' Quis non videt sententias primum falsis signis distinctas, tum interpolatione prorsus depravatas esse?

*3) Ut licentiosa mancipia acri imperio coërce linguam, ventrem, libidinem. Amoris remedium est mutatio, sed observa, ne fiat ipsum remedium morbus. Cupiditatem si opprimere et q. s.* (S. p. 226.) Has ita recte scriptas esse apparet; sed in P iam vocabula quaedam corrupta sunt (f. $21^a$ ‚Ut nocenti mancipia acri ingenio compescere . . . observatione fiat ipsum remedium . Morbos . .') et codices M et alius aliam lectionem (cf. Woelffl. Publ. Syri adn. sent. 117) et priorem sententiam supra iterum scriptam (15) exhibent.

His addam nonnulla exempla, quibus cognoscemus, quomodo singula quaedam vocabula vel consulto interpretandi causa vel ineptiis librariorum corrupta sint. *1) Proximum ab innocentia locum tenet peccati verecunda confessio.* (S 223.) Quae sent. in S integra est, (cf. Sen. de clem. I, 19, 9. 15, 7), in P (f. $19^a$ ‚Proximum ab innocentia est ei peccati . .') depravata, multo magis in M (94 ‚Locum tenet proximum ab innocentia confessio: ubi confessio, ibi remissio') ab homine



ut suspicor, Christiano interpolata est. *2) Multos differentes vitam fortuna decipit; itaque omnis dies velut ultimus indicandus est. Utendum est divitiis, non abutendum.* (S. p. 220.) Sic recte leguntur, nisi quod pro ‚indicandus' ex Sen. ep. 12, 8 ‚ordinandus' (cf. dial. 10, 7, 9) corrigere malim; at in P (f. $18^a$ ‚Utendum est divitiis, non abutendum; itaque omnis dies velut ultimus ordinandus est') altera pars prioris sententiae omissa et ordo immutatus et tamen particula ‚itaque' inepte posteriori sententiae anteposita est. In M (§ 10) sententia et mutatione ordinis et interpolatione ad formam tetrametri redacta est. Elucet igitur, quam falsa sit Woelfflini opinio, qui Ribbeckium (Append. Comic. lat. ed. II. pg. 102) secutus hanc sententiam alicui incerto poëtae vindicavit (Publ. l. Syr. Prol. pg. 35). *3) Non est, quod insolenter utaris felicitate, nisi fatearis imperatam fuisse.* (S p. 227.) Haec est recta forma, nisi quod ‚imperatam' in ‚insperatam' corrigere velim, quod ex lectione P (‚speratam') elici potest (cf. Sen. Clem. I, 1, 17: ‚insperata adsecuti'). In M ($119^a$) prior pars iisdem verbis scripta est, altera autem corrupta (‚quod non fuisset tibi imperatum'); in lectione codicis P (f. $21^b$ ‚Felicitatem ne fatearis speratam fuisse') industria interpolatoris deprehenditur. *4) Sit aliquis bonus an videri velit, conversantibus cito apparebit; nunquam enim bonitatis longa simulatio est.* (S p. 228.) Haec sententia in P deest, in M (125/126: ‚Si aliquid cogitaveris, cito apparebit conversantibus. Videri vis ab hominibus an non? Nunquam bonae honestatis longa simulatio est') plane corrupta exstat. 5) *Magna res vocis et silentii temperamentum: in hoc tamen incumbe, ut libentius audias quam loquaris* (P f. $18^a$). At in M sententia, quae in S deest, in duas partes distracta est (9: ‚in hoc tamen incumbe etc.'; 74: ‚Magna res et q. s.') quod quam falsum sit, particula ‚tamen' declarat.

Sed iam satis multa. Si quis admoneat, ut quae disquisitione nostra effecta sint, summatim proponamus, haec erunt:


1) Cod. S, ut est vetustissimus omnium, ita longe optimus; itaque dolendum est, quod non omnes sententias continet.

2) In P etsi haud pauci loci alii de industria, alii per socordiam scribentium et quod ad sententiam et quod ad verba attinet, corrupti sunt, magni tamen pretii est hic liber, quod solus philosophorum nomina et maiorem numerum sententiarum quam S exhibet.

3) Lectiones libri M Salmasiano quidem bonitate cedunt, non semper Parisino, aliquoties autem sententiae adeo distractae atque interpolatae sunt, ut verus sensus non iam possit elici.

4) Artis criticae haec erit lex et norma, ut primo loco codex S, ubi hic deficit, et P et M aequo iure, sed cum ratione atque iudicio adhibendi sint.

5) Verisimile est omnes codices ex uno archetypo fluxisse, ex quo duplex fons emanavit: alter enim est ille, ex quo S et P profecti sunt, qui et ipsi iam pridem in diversas partes abierunt; alter ille, ex quo codices M et $\pi$ derivati sunt. Haec placet illustrare hoc artificio:




6) Denique patet, ut quisque codex sit recentissimus, ita maxime sententias discrepare; itaque non est mirandum, si illo tempore, quod inter hos codices et primum exemplar est interiectum, factae interpolationes difficilius possunt detegi. Neque minus perspicuum est paucissimas sententias in codicibus ita esse formatas, ut in libris, ex quibus haustae sunt, fuerunt.

---

## Caput II.

Quoniam supra de codicibus, de titulo libelli, de philosophorum nominibus, quibus sententiae tribuuntur, de interpolationibus, de ordine ac numero earum disputatum est, restat, ut hoc capite sententias ipsas tractemus, quas Senecae philosopho collatione eius librorum instituta addicendas esse credo. Qua in re hunc ordinem tenebo, ut primum illas examinem, quae rebus et praeceptis cum disciplina Senecae congruunt, deinde eas, quae orationis habitu atque colore vel singulis vocabulis Annaeanum dicendi genus redolent, denique illas, quas crediderim sive ad verbum sive paululum mutatas ex Senecae libris esse desumptas.

Ac primum quidem non paucae inveniuntur sententiae, quae, ut philosophus cum in ceteris libris tum in epistulis suis de omnibus fere rebus, quae ad mores spectant, iterum atque iterum disserit, ita et ipsae omnem de moribus philosophiam complectuntur et cum Senecae praeceptis mirum in modum concordant. Ut autem nonnullas, quibus de senectute et de morte agitur, commemorem, leguntur hae:

*Quid mortem times? quid senectutem? cotidie senescis, cotidie moreris.* S p. 226. Vide, quam similiter Seneca scribat ep. 30, 10: ‚Is ait stultum esse qui mortem timeat quam qui senectutem'. Saepius autem verbis ‚cotidie mori' utitur, ut ep. 1, 2. 24, 20. 58, 23. De senectute cf. ep. 26.

*Cum onus esse cogitaveris senectutem, cogita votum fuisse.* S p. 226. Vocabula ‚onus' et ‚votum' eodem sensu Seneca ad senectutem refert, praesertim ubi ep. 26, 2 de sene dicitur: ‚magnam partem oneris sui posuit' et dial. 2, 17, 2: ‚senectutem quidam inviti audiunt et alios et alia, ad quae voto pervenitur.'

*Nemo nisi qui vult vivit, cum mori liceat.* S p. 225. Eadem sententia est in ep. 71, 21: ‚ut scias ad moriendum nihil aliud in mora esse quam velle‘ et q. s. Similiter ep. 30, 10. 54, 7. dial. 6, cp. 20.

*Numquam eum servaveris, cui mori expedierit, ne misericordia tua crudelitas sit.* S p. 206. P f 17$^a$. De benef. 2, 5, 3: ‚acerbissima crudelitas est, quae trahit poenam, et misericordiae genus est cito occidere‘.

*Vita hominis brevis est; itaque immortalitas est mors honesta.* S p. 225. P f. 20$^b$. Hanc sententiam, quae inter sententias Publilii Syri fuit, a Bothio pro spuria recte eiecta est. Senecae tribuerim comparata ep. 71, 16: ‚Non est ergo M. Catonis, maius bonum honesta vita quam mors honesta, quoniam non intenditur virtus‘. Cf. ep. 77, 20. 78, 27.

*Ut moriamur, omnes nascimur; sane mors hominum finis est: forti levis, servienti optata, seni (?) optabilis, iuveni (?) inmatura, nulli pro magno bono natura data.**) P f. 22$^b$. Prior pars sententiae passim in Senecae libris simillime scripta est; cf. dial. 6, 10, 5: ‚mors nascenti denuntiata est‘; dial. 9, 1, 13: ‚morti natus es‘; rem. fort. 2, 6: ‚Quidquid est natum, moritur‘ (cf. 2, 1. 2). Ep. 99, 8: ‚Cui nasci contigit, mori restat‘ (cf. epp. 4, 9. 22, 15. 101, 14). Posterior autem multis verbis expressa exstat dial. 6, 20, 1: ‚O ignaros malorum suorum, quibus non mors ut optimum inventum naturae laudatur exspectaturque, sive felicitatem includit, sive calamitatem repellit, sive satietatem ac lassitudinem senis terminat, sive iuvenile aevum, dum meliora sperantur, in flore deducit, sive pueritiam, ante duriores gradus revocat, omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis melius merita quam de iis, ad quos venit, antequam invocaretur. Haec servitutem invito domino remittit, haec captivorum catenas levat‘ et q. s. Rem. fort. 4, 1: ‚Optimum est, ante-

---

*) In hac sententia, cum ante *optabilis* et *immatura* dativi desint, qui *forti*, *servienti*, *nulli* respondeant, verba *seni* et *iuveni* inserenda esse crediderim coll. Sen. dial. 6, 20, 1, quem locum modo exscripsi, nisi praetuleris *misero* (et *felici*) coll. Vincent. Bellov. sp. h. 31, 107 ‚Mors optabilis miseris‘. Haereo, num pro ‚natura‘ ‚matura‘ legendum sit.



quam optes, mori . . . Hoc unum est, quod aeque ad iuvenem quam ad senem pertinet‘. Cf. praeterea ep. 99, 11: ‚mors, antequam veniat, optata‘; dial. 10, 3, 4: ‚immaturum mori‘; dial. 6, 19, 6: ‚immatura mors‘, dial. 6, 21, 4: ‚immaturus decessit‘, rem. fort. 13, 2: ‚immatura funera‘. Denique Lactantii (inst. 1. 5, 26. 3, 12, 11) et Vinc. Bellovacensis (sp. h. 7, 116) Senecae librum ‚de immatura morte‘ commemorant.

Addere mihi placet illas, quae de beneficiis scriptae sunt:

*Beneficium acceptum numquam oblivisci oportet, dati protinus.* S p. 219. P f. 17$^b$ M 67. Exstat simillimus locus de benef. 2, 10, 4: ‚Haec enim beneficii inter duos est lex: alter statim oblivisci debet dati, alter accepti nunquam‘. De benef. 5, 8, 5: ‚Beneficium sibi dedit: protinus danti reddidit‘. Cf. 2, 11. 7, 22, 1.

*Gratus est, qui non tantum beneficium libenter reddit, sed qui libenter accipit.* (sic P f. 19$^a$ S p. 222 ‚debet‘) Similiter de benef. 2, 30, 2: ‚Qui libenter beneficium accipit, reddidit‘ et q. s. Cf. de benef. 2, 33, 1 sq., 2, 35, 1 sq., ubi de eadem re multis verbis disseritur (‚vis reddere beneficium? benigne accipe‘).

*Cum ignoscis, ita beneficium tuum tempera, ut non ignoscere videaris, sed absolvere, quia gravissimum poenae genus est contumeliosa venia.* S p. 219. P f. 17$^b$. Verba ‚absolvere‘ et ‚ignoscere‘ similiter collata exstant de benef. 7, 28, 3: ‚ut absolvaris, ignosce‘.

Iam vero quae est virtus, quae est res, de qua non disputetur?

*Quam insane amaretur virtus, si videretur?* S p. 227. P f. 21$^a$. Haec sententia dubito an sumpta sit ex ep. 115, 6: ‚Nemo, inquam, non amore eius (sc. virtutis) arderet, si nobis illam videre contingeret‘. Cf. § 3.

*Dissensio ab alio incipiat, reconciliatio a te.* S p. 219. P f. 17$^b$ M 49. Idem fere praecipitur ep. 105, 4: ‚eum te homines sciant, quem offendere sine periculo possint: reconciliatio tua facilis sit et certa‘.

*Libenter feras,**) *quod necesse est; dolor patientia vincitur.*

---

*) S habet *facias*, P *fac*; sed equidem praetulerim lectionem *feras*, quam et M tuetur, cum posterior pars sententiae melius explicetur.

S p. 206 P f. 17ᵃ M 6. Haud alia est sententia in libro de rem. fort. 2, 8: ‚fac libens, quod vel nolens faceres.'

*Nullum putaveris locum esse sine deo teste.* S p. 220. P f. 18ᵃ. Pariter Seneca deos vocat testes in ep. 102, 29: ‚Deos omnium rerum esse testes ait'. Cf. ep. 43, 4.

*Verba rebus, non personis aestimanda sunt; malus iudex veritatis est, cuius sententiam non res, sed auctoritas ducit.* S p. 222. P f. 19ᵃ. Similem habemus sententiam in ep. 12, 11: ‚at isti, qui in verba iurant, nec quid dicatur, aestimant, sed a quo sciant, quae optima sunt, esse communia', quibus verbis concordant ea, quae exstant in Mart. Dum. form. hon. vit. (Haase, vol. III. p. 470, 11): ‚Non te moveat dicentis auctoritas, sed quid dicat, intendito'. *)

*Liberales disciplinas cole non tamquam virtutes, sed tamquam instrumenta virtutum.* S p. 226. P f. 21ᵃ. Seneca quamquam ‚liberalia studia' scribere solet, tamen ‚liberales disciplinas' non repudiat (cf. dial. 10, 7, 3. 11, 2, 5). Sententia ipsa videtur ex epistula duodenonagesima excerpta esse, in qua de liberalibus studiis multa verba facit, cf. § 20: ‚Quid ergo? nihil nobis liberalia conferunt studia? . . . ad instrumenta vitae plurimum conferunt, tamen ad virtutem non pertinent . . . non quia virtutem dare possunt, sed quia animum ad accipiendam virtutem praeparant . . . sic liberales artes non perducunt animum ad virtutem, sed expediunt'. Cf. § 21.

*Certius est benevolentia summi imperii munimentum quam metus? Nemo enim timeri potest sine suo timore.* P f. 23ᵃ. Non multum differunt, quae leguntur de clem. 1, 19, 6: ‚Unum est inexpugnabile munimentum amor civium. Quid pulchrius est quam vivere optantibus cunctis non sub custode nuncupantibus si paulum valetudo titubavit, non spem hominum, sed metum'. Cf. de clem. 1, 3.

*Exilium sapiens feret ut incommodam migrationem.* S p. 227. Idem iudicat Seneca de exilio dial. 12, 6, 8: ‚ferre transitum ac migrationem' et in eodem dialogo 6, 1: ‚loci commutatio'. Cf. rem. fort. 8, 2—3: ‚si enim sapiens est, peregrinatur, si stultus, exulat. — Ire in exilium cogor. Si sponte, peregrinatio est, non exilium'.

*) Huius quoque formulae locos contuli, quod meo quidem iudicio multa Annaeana insunt; cf. Fr. Haase, l. l. vol. III. praef. pag. XXI.



*Non tantum riseris; etiam iocis enim verecundia.* S p. 228. Similiter dial. 9, 17, 4: Nec in eadem intentione aequaliter retinenda mens est, sed ad iocos ‚devocanda'. Cf. dl. 7, 12, 2.

*Nequitia ipsa poena sui.* S p. 219. Eodem redit ep. 42, 2: ‚nec maior poena nequitiae est quam sibi ac suis displicet'.

*Libidinis initia continebis, si exitum cogitaveris.* S p. 219. P f. 17ᵇ M 66. Confer, quod legitur in Mart. Dum. form. h. v. (Haase, v. III. p. 469, 6): ‚Cuiusque facti causam require: cum initia inveneris, exitus cogitabis'.

*Id age, ut libenter tecum esse possis.* S p. 206. Haud alia sunt, quae ep. 10, 3 exstant: ‚non invenio, cum quo te malim esse quam tecum'. Dial. 10, 2, 5: ‚non esse cum aliquo volebas, sed tecum esse non poteras'. Cf. ep. 2, 1. 6, 7. 7, 8. 105, 6.

*Turpe est orientem solem raro videre.* S p. 227. P f. 21ᵇ. Ep. 122, 1: ‚turpis, qui alto sole semisomnus iacet, cuius vigilia medio die incipit'.

*Quae sunt maximae divitiae? non desiderare divitias.* S p. 205. P f. 16ᵇ M 45. Ep. 14, 17: ‚Is maxime divitiis fruitur, qui minime divitiis eget'. Cf. ep. 2, 6. 25, 4. 87, 4. 119, 5.

*Quis plurimum habet? qui minimum cupit.* S p. 206. P f. 16ᵇ M 46. Seneca ep. 108, 11 laudat versum Publilii (286): ‚Is minime eget mortalis, qui minimum cupit'. Ep. 119, 6: ‚qui multum habet, plus cupit'. Cf. ep. 4, 10.

*Qui a multis timetur, multos timet.* S p. 206. P f. 17ᵃ M 61. Seneca refert de ira 2, 11, 3 illum Labianum versum: ‚Necesse est timeat quem multi timent'. De clem. 1, 12, 4: ‚Qui timetur, multos timet'. De clem. 1, 19, 5: ‚Tantum enim necesse est timeat, quantum timeri voluit'. Cf. ep. 14, 10.

*Mala conscientia saepe tuta est, secura nunquam.* S p. 219. P f. 17ᵇ M 65. Eandem sententiam habemus ep. 97, 13: ‚Tuta scelera esse possunt, secura non possunt', cui respondet

ep. 105, 8: ‚Tutum aliqua res in mala conscientia praestat, nulla securum' et Sen. Phaedr. 169 (ed. Peip.): ‚Scelus aliqua tutum. nulla securum tulit'. Cf. de clem. 1, 19, 5.

*Magna res vocis et silentii temperamentum; in hoc tamen incumbe, ut libentius audias quam loquaris.* S p. 220. P f. 18ª M 9 et 74 Cum Vincentius Bellov. sq. mor. 3, 1, 4 scribat: ‚Quidam philosophus: Serva vocis et silentii temperamentum, et si loqui libuerit, sic loquaris, ut aliis libentius audiaris' haud scio an ille auctorem libri de moribus, dico Senecam, intellexerit, praesertim cum hic saepe de ista re disputet, ut ep. 105, 6.

*Quietissimam vitam mortales agerent, si haec duo verba de rerum natura tollerentur: meum et tuum. quae verba (?) nos deridemus *): nihil enim meum est neque tuum; ipse enim alienus es.* S p. 223. P f. 19ª. Haec sententia, ut cum Stoicorum disciplina plane congruit (*de rerum natura*, *meum et tuum*, *nos*, qui sunt Stoici eique ceteris mortalibus opponuntur), ita saepius similiter scripta apud Senecam legitur, velut de benef. 7. 4, 6: ‚Omnia deorum sunt: tamen et dis donum posuimus et stipem iecimus. Non ideo, quod habeo, meum est, si meum tuum est: potest enim idem esse meum et tuum'. Cf. de benef 7, 5. 6, 3, 2. 7, 12, 5. Ep. 98, 10: ‚Quidquid est, Lucili, cui dominus inscriberis, apud te est, tuum non est'. Ep. 1, 3: ‚Omnia, mi Lucili, aliena sunt'. Rem. fort. 10, 10: ‚quae tua forsitan vulgi more credideris, mirorque, si nondum intellegis, aliena'.

*Fato te regi crede; omnia fortius feres; scies enim quidquid patiaris, non iniuriam esse, sed legem.* S p. 223. Haec sententia stoico sapiente dignissima iterum atque iterum apud Senecam scripta legitur, ut in libro de Providentia, cuius quinto capite dictum Demetrii Cynici tradit additque haec: ‚fata nos ducunt ... ideo fortiter omne patiendum est, quia non, ut putamus, incidunt cuncta, sed veniunt ... nos laeti ad omnia et fortes cogitemus nihil perire de nostro. Quid

*) S habet: ‚qui uero nos deridemus', P: ‚Quid nos dedimus, quid inquietamur'?



est boni viri? praebere se fato. grande solatium est cum universo rapi. quicquid est, quod nos sic vivere, sic mori jussit, eadem necessitate et deos adligat'. Dial. 7, 15, 7: ‚quicquid ex universi constitutione patiendum est, magno suscipiatur animo. ad hoc sacramentum adacti sumus, mortalia ferre nec perturbari iis, quae vitare non est nostrae potestatis'. Cf. dial. 11, 4, 1. nat. q. 2, 35, 2. ep. 16, 5. Sunt praeterea permulti loci, quibus philosophus omnia *lege naturae* regi dicit, ut dial. 7, 15, 5: ‚illa fortiter stabit et quicquid evenerit, feret non patiens tantum, sed etiam volens, omnemque temporum difficultatem sciet legem esse naturae'. cf. dial. 11, 10, 4; 11. 4; 17, 2. 12, 13, 2.

*Quomodo potentiam optime tuebor? sine impotentia.* S p. 222. Rem. fort. 10, 2: ‚Non sum potens. Gaude, impotens non eris'. Cf. ep. 42, 3: ‚magna potentia impotenter utuntur'. Dial. 12, 14, 2: ‚potentiam liberorum muliebri impotentia exercent'.

*Maximum indicium constantis animi est semper, quo vultu exieris, eodem reverti'.* P f. 22ᵇ. Cf. de ira 2, 7, 1: ‚desinet ille Socrates posse eundem vultum domum referre, quem domo extulerat'.

*Laboribus adsuescere contra fortunam exerceri est.* S 221 P f. 18ᵇ. Similiter dial. 1, 2, 2: ‚Omnia adversa exercitationes putat' ep. 18, 5: ‚In ipsa securitate animus ad difficilia se praeparet et contra iniurias fortunae inter beneficia firmetur'. Cf. ep. 18, 6, 11, 12. *Contra fortunam* passim in Senecae libris legitur. cf. ep. 26, 5. 48, 10. 71, 34. 74, 19. 92, 2. 99, 32. 100, 11. 108, 7. 113, 28. dial. 1, 2, 2; 4, 12; 29.

*Nobilitas est generosus animus.* S p. 221. Seneca in ep. 44 multis verbis de hac re disputat, cf. praesertim § 5: ‚Quis est generosus? ad virtutem bene a natura compositus'. Cf. ep. 102, 21.

*Sic habita, ut potius dominus laudetur, quam domus.* S p. 228. P f. 21ᵇ. Hoc quoque similiter scriptum legitur in Mart. Dum. form. hon. vit. 4, 5: ‚nec dominum velis esse notum a domino, sed domum a domino'. —

Ut ad verborum usum transgrediamur, multa in sententiis occurrunt et rariora vocabula, velut *adversatio, angustare,*

*suggillare*, et propriae locutiones ac formulae, quales sunt *ad rem pertinet, prope est ut* aliaeque. Quae etsi ab aliorum scriptorum oratione prorsus aliena esse non contenderim, tamen praecipue stilum Annaeanum illa prae se ferre eo magis mihi persuasi, quod haud paucas sententias rebus ipsis, quae passim a philosopho praecipiuntur, comprobatas videmus.

Atque exordiamur a singulis vocabulis:

*Non pusilla est domus, quae multos capit amicos; nam ut illam fortuna angustavit, ita amicitia amplificavit.* P f. 22 [b] Verbum *angustare*, quod Cicero praeter participium ‚angustatus' (Somn. Scip. 6) sprevit, praeter Plinium (hist. nat. 17, 8, 4) poëtae tantum scripserunt, ut Catullus 64, 159. Lucanus 4, 326; 5, 232. Coel. Aurel. Acut. 1, 15; Stat. Theb. 4, 827; 12, 665. Seneca autem illud haud raro scripsit et quidem ad ‚domus' rettulit, ut dial. 12, 11, 3: ‚quamvis magnam domum angustet'; dial. 11, 10, 3: ‚Nimis angustat gaudia sua, qui iis tantummodo, quae habet ac videt, frui se putat'; dial. 12, 6, 1: ‚ne angustare videar vim'; dial. 9, 8, 9: ‚angustanda certe sunt patrimonia'. Cf. dl. 2, 15, 5: ‚domus haec sapientis angusta'. Rem. fort. 16, 7: ‚domus non sit angusta'. Accedit, quod vocabulum *pusillus*, etsi alii non fugiunt, tamen auctor noster in omnibus libris saepissime usurpavit.

*Qui beneficium accipit, reddere studeat, ut exoneret se, non liberet.* S p. 228. P f. 21 [b]. Verbum *exonerare* Cicero videtur fugisse; quod quamquam alii et rerum scriptores et poëtae, ut Livius (2, 2; 42, 13), Tacitus (Ann. 3, 54), Curtius (4, 13; 6, 8), Ovidius (Trist. 1. 3. 36), Martialis (10, 48) saepius adhibuerunt, tamen Seneca eo loco, qui eandem quoque sententiam continet, simillime accusativum *se* cum eo coniungit ep. 81, 17: ‚Errat enim, si quis beneficium accipit libentius quam reddit. Quanto hilarior est, qui solvit quam qui mutuatur, tanto debet laetior esse, qui se maximo aere alieno accepti beneficii exonerat quam qui cum maxime obligatur'.

*Cum fratre sic divide, ut animorum consortium maneat.* S p. 219. P f. 17 [b]. Vocabulum *consortium*, quod apud Ciceronem nusquam, apud alios quoque scriptores rarissime



(cf. Tac. Ann. 4, 3: c. regni; Petron. Satyr. 101: c. studiorum), sed apud jurisconsultos (cf. Ulp. Dig. 17, 2, 52) saepe invenitur, Seneca non repudiavit, cf. ep. 48, 2: ‚consortium omnium inter nos facit amicitia' (cf. ep. 73, 7.) Cf. ep. 88, 1: ‚cum fratre dividere'.

*De vita, ut de convivio, optimum est nec scientem exire nec ebrium.* P f. 22 [b]. Verbo *exire* (= mori) Seneca passim in libris suis, imprimis in epistulis utitur, ut ep. 22, 3. 24, 25. 26, 4. 30, 3. 58, 36. 93, 2. 98, 16. Rem. fort. 4, 1.

*Arma nisi ut submoveas, ne sumpseris; excusata est enim et dis et hominibus necessitas, cuius omnis invidia imputatur auctori.* S p. 223. P f. 19 [a]. Eandem propriam vim habet *necessitas* de clem. 1, 8, 3: ‚cum dis tibi communis ipsa necessitas est'. Cf. dial. 1, 5: ‚quicquid est . . . eadem necessitate et deos adligat'.

*Da operam, ut nec in negotiis sis inquietus nec in otio marcidus.* S p. 219. P f. 17 [b]. Vocabulum *marcidus*, quo quidem etiam rerum scriptores, ut Tacitus (Ann. 6, 4), Val. Maximus (7. 7. n. 4) et poëtae, ut Ovidius (Met. 10, 190) usi sunt, apud Senecam saepius scriptum est, ut dial. 1, 3, 10: ‚hunc voluptatibus marcidum'; Med. 69: ‚Huc incede gradu marcidus ebrio'. Accedit etiam, quod sententia similiter scripta est ep. 3, 5: ‚Utrosque reprehendas, et eos, qui semper inquieti sunt, et eos, qui semper quiescunt . . . Inter se miscenda sunt: et quiescenti agendum est et agenti quiescendum est'. Cf. dial. 9, 4, 8.

Iam si quae vocabula apud auctores duplici forma scripta leguntur, illam in his sententiis videmus usurpari, quae et Senecae placuit. Huc rettulerim *supervacuus, at mehercules, etiamsi.*

*Necessaria parabilia sunt; nihil satis est supervacua cupienti.* S p. 206. P f. 17 [a]. Rariori vocabulo *parabilis*, quod saepius etiam apud Senecam scriptum est (ep. 4, 11. 5, 5. 90, 15), non ita multum tribuo, cum ne Cicero quidem (fin. 1, 13, 46; Tusc. 5, 33, 93) repudiaverit; sed multo pluris aestimo *supervacuus*, cuius vocabuli plus quam nonaginta exempla apud Senecam numeravi, nusquam autem

*supervacaneus*; accedit, quod saepe ,supervacuus' et ,necessarius' similiter sibi opposita inveniuntur (ep. 48, 9. 49, 5. 87, 1. 104, 16. 110, 11. dial. 12, 11, 4). Sententia autem ipsa haud raro in libris eius simillime scripta legitur, ut ep. 4, 11: ,Parabile est, quod natura desiderat et adpositum. Ad supervacua sudatur ... ad manum est, quod satis est'. Ep. 16, 8 sq.: ,Exiguum natura desiderat. opinio immensum ... Naturalia desideria finita sunt: ex falsa opinione nascentia ubi desinant, non habent'. Dial. 12, 10, 11; ,Cupiditati nihil est satis, naturae satis est parum'. Ep. 90, 15: ,posse nos habere usibus nostris necessaria ... tam supervacuum sciet sibi coquum esse quam militem ... simplici cura constant necessaria ... ad parata nati sumus ... gratuita et opera levi parabilia' et quae sequuntur. Cf ep. 17, 9. 25, 4. 39, 6. 45. 4.

*Quidam inimici graves sunt, amici leves; at mehercules satius est odio deesse constantiam.* P f. 18 [a]. *At mehercules,* quae verba Cicero aliique fugerunt *mehercule* praeferentes, apud Senecam frequentissima sunt; vid dial. 5, 28, 6. 10, 5, 3; 20. 5. de clem. 1, 5. 1. de benef. 7, 10. 2; 15, 2. nat. qu 7, 1, 6; 32. 4. ep 44, 2. 50, 5. 53, 11. 56. 3. 99. 3. 110. 7. 13. 15. 117. 31. 122. 3.

*Tempta non tantum, quod fieri debet, sed quod potest. Bonarum magnarumque rerum etiamsi successus non adfuit, honestus ipse conatus est.* S p 221. P f. 18 [b] M 65. 66. Animadvertas velim coniunctionem *etiamsi*, quam Seneca, ut pater eius, saepissime — exstant enim in scriptis eius centum et duodenonaginta exempla — adhibuit; vocabulo *etsi*, quod antiquissimi scriptores atque optimi oratores usurpaverunt, videtur abstinuisse, cum non plus quam quattuor locis codicum auctoritate probatum sit. (Cf. Naegler, de particularum usu diss. 1873. p. 6—9.) Cf. ep 14, 16: ,Consilium omnium rerum sapiens, non exitum spectat. Initia in potestate nostra sunt; de eventu fortuna iudicat'.

*Etiamsi criminatio te delectaverit, criminator offendat.* S p. 227. P 18 [b]. Cf. ep. 97, 11: ,omnibus crimen suum voluptati est'.



Verborum constructiones si quaerimus, has proposuerim sententias:

*Qui regibus convivunt, similes sunt per excelsa et praerupta repentibus; semper tremunt, saepe titubant, subito ruunt.* S p. 227. P f. 21 [b]. Seneca *convivere* cum dativo, ut hoc loco, coniungit (ep. 104, 20 ,avaro sordidoque convixeris' § 21 ,convivere Graecis'), cum Quintilianus (inst. or. 5, 9 ,convivere cum adolescentibus') aliique praepositionem *cum* substantivo adiectam praetulerint. Cf. *titubare* Senecae valde adamatum, ep. 11, 2. 95, 16. 114, 12. de ira 3, 25, 1. dial. 6, 4, 2. 9, 1, 9. de clem. 1, 19, 7. de benef. 4, 34, 3. nat. qu. 3, 27, 6. 5, 1, 4. Ac ne commemorem formam posterioris partis sententiae orationi Annaeanae simillimam esse, non desunt loci, quibus singula quaedam illustrantur; dial. 9, 10, 6: ,quae excelsa videbantur, praerupta sunt'; ep. 94, 73: ,ostendat ex constitutione volgi beatos in illo invidioso fastigio suo trementes et adtonitos longeque aliam de se opinionem habentes quam ab aliis habetur . nam quae aliis excelsa, ipsis praerupta sunt'.

*Non qui servire non potest, fortis est — id enim deterrima mancipia possunt — sed qui servire ceteros prohibet.* P f. 22 [b]. Seneca constanter a verbo *prohibendi* infinitivum suspensivum adhibet, cf. ep. 52, 9. 85, 9, 38. 92, 26. 111, 5. de clem. 1, 12, 1. de benef. 6, 29, 2. 7, 4, 2; 12, 1; 24, 2. nat. qu. 2, 9, 4; 26, 2. 3, 3, 1; 27, 10. 7, 14, 3; 27, 2.

Restat, ut peculiares locutiones ac formulas quaeramus, velut *odia gratuita, prope est ut, chirographum dare,* et si quae alia proprium quoddam Annaeanum habent.

*Nihil aeque odia gratuita colligit quam ubique apparere; conversatio offendit oculos; prope est, ut sit invisus, qui nimis notus est.* S p. 222.

*Molestiora sunt odia, quae vulgo gratuita dicuntur quam quae ex aliqua offensa concepta: natura enim insequimur magis eos odio, quos non decet, quam quos oportet.* S p. 223. Quid? nonne utraque sententia summatim continetur ep. 105, 3: ,Odium aut est ex offensa: hoc vitabis neminem lacessendo; aut gratuitum, a quo te sensus communis tuebitur . fuit hoc

multis periculosum'. Cf. de ira 3, 8, 1: ,Sumuntur a conversantibus mores etc.'; ep. 7, 1: ,numquam mores, quos extuli, refero . . nusquam sine offensa proferuntur; hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur . Inimica est multorum conversatio'. Denique illud monuerim, quod Seneca, ut in hac sententia fit, post *aeque* semper *quam*, nunquam *ac* scripsit.

*Qui paupertatem timet, di boni, quam timidus est.* S p. 223. Vocativus *di boni* persaepe sententiis Senecae insertus est, ut ep. 13, 4. 64, 3. 86, 10. 95, 24. 115, 3. de clem. 1, 26, 3. nat. qu. 4, 13, 9.

*De felicitate hominis ultimus dies iudicat.* S p. 220. P f. 18 [a]. Apud Senecam pro ,mors' saepissime ,ultimus dies' scriptum est; cf. dial. 10, 3, 4; 11, 2. dial. 11, 11, 4. dial. 12, 13, 2. ep. 45, 13. 61, 1. 93, 6.

*Aeris alieni et iucundissimum et gravissimum esse scito beneficium; huic nunquam tabulae novae fiunt.* S p. 222. Seneca locutionem ,novae tabulae' similiter ad ,beneficium' confert, de benef. 1, 4, 6: ,Rem perniciosissimam, beneficiorum novas tabulas'. Cf ep. 81, 26; ,qui post novas tabulas solvunt'.

*Multi beneficiis obligandi, sed pauci iniuriis offendendi; nam memoria beneficiorum fragilis est, iniuriae tenax.* P f. 22 [a]. Posterior sententiae pars et in universum et singulis vocabulis congruit cum illis, quae de benef. 1, 1, 8 leguntur: ,Cum ita a natura compositum sit, ut altius iniuriae quam merita descendant et illa cito defluant, has tenax memoria custodiat, quid exspectat, quid offendit, dum obligat'. Cf. dial. 11, 14, 1: ,tenacissima memoria'.

*Qui sibi persuasit aequo animo pati, quicquid evenerit, fortunae regnum extorsit.* P f. 23 [a]. Ut ,fortunae regnum' saepe apud Senecam scriptum est (cf. dial. 1, 6, 7. 6, 10, 16. 7, 25, 5. 10, 10, 4), ita similis sententia legitur dial. 7, 15, 5: ,Ille fortiter stabit et quicquid evenerit, feret non patiens tantum, sed etiam volens'; dial. 1, 2, 1: ,Manet in statu et quicquid evenit, in suum colorem trahit'.

*Negligi malo quam in honorem fortunae coli.* S p. 224. ,In honorem', quam locutionem meliores scriptores devitaverunt,



creberrime a Seneca usurpatur, ut ep. 65, 22. 73, 6. 79, 2. 92, 1. 104, 3; cf. ep. 44, 5 ,in nostram gloriam'. Cf. dial. 7, 4, 5: ,hanc (sc. libertatem) non alia res tribuit quam fortunae negligentia'.

*Prope est, ut inique irascatur, qui potest irasci suis sine dolore.* S p. 221. P f. 18 [b]. Formula ,prope est, ut', quae praeter Livium (25, 21; 40, 32) praesertim a iurisconsultis adhibebatur, etiam in Senecae libris saepius reperitur, ut de clem. 1, 14, 3: ,Prope est enim, ut libenter damnet, qui cito . prope est, ut inique puniat, qui nimis'. Cf. de clem. 2, 4, 6. epist. 120, 12.

*Longa aetas est non diu vivere, sed scire ad rem pertinere, quam diu vivas.* S p. 225. Formula ,ad rem pertinet' passim apud Senecam scripta est, cf. ep. 19, 8, 12. 29, 11. 49, 3. 70, 6. 82, 1. 88, 6. 108, 24. de clem. 2, 4, 4. Sententia ipsa similiter expressa legitur ep. 93, 2: ,Non ut diu vivamus curandum est, sed ut satis . nam ut diu vivas, fato opus est, ut satis, animo. Longa est vita, si plena est' et quae sequuntur. Rem. fort. 2, 9: ,Non ubi, sed qualiter moriaris, ad rem pertinet'. Cf. ep. 77, 20. Dial. 10, 17, 1: ,quamdiu vivas'.

*Honestior est, qui senectutem ad otium retulit, quam qui in otio invenit.* S p. 222. P f. 18 [b] M 88. Epist. 101, 4: ,Tum deinde lassam et plenam senectutem in otium referam'. Cf. ep. 67.

*Filius irasci patrem potius intelligat quam sciat; palam facta adversatio bonum filium suggillat, malum liberat et plus ad emendationem proficit pudor timori commixtus.* S p. 221. P f. 18 [b]. Huius sententiae vocabula quaedam et locutiones Senecam satis produnt, velut *adversatio*, quod apud Senecam legitur de ira, 1, 4, 3: ,Quaedam ultra querelas et adversationes non exeunt'; praeter illum nusquam nisi apud scriptores ecclesiasticos, ut apud Tertullianum adv. Gnost. 5., invenitur. Praeterea de ira 1, 15, 3: ,Nil minus quam irasci punientem decet, cum *eo magis ad emendationem proficiat,* si iudicio lata est'; cf. ep. 94, 37. Verbum *suggillare*, quo etiam Petronius (Sat. 128), Valerius Maximus (3, 2. n. 1;

7. 5. n. 5; 7. 8. n. 9), jurisconsulti (Ulp. Dig. 2, 4, 10), scriptores ecclesiastici (Orig. hom. in Exod. 8, 6) usi sunt, saepius apud Senecam scriptum est, cf. de benef. 5, 23, 3. ep. 13, 2. Ad extremam sententiam confer ep. 47, 18: ‚Non potest amor cum timore misceri'.

*Proximum ab innocentia locum tenet peccati verecunda confessio.* S p. 223. P f. 19 [a] M 78. Vide, quam similia verba apud Senecam legantur de clem. 1, 15, 7: ‚Id scelus, in quo se, quod proximum erat ab innocentia, timide gessisset'. De clem. 1, 19, 9: ‚Non proximum illis locum tenet is'.

*Non est, quod insolenter utaris felicitate, nisi fatearis insperatam.* S p. 227. P f. 21 [b]. De formula ‚non est quod' quam Seneca frequentissime scripsit, cf. supra pg. 4; praeterea cf. pg. 21

*Boni civis est non rempublicam sibi natam putare, sed se reipublicae.* P f. 22 [b]. Similiter de clem. 1, 19, 8: ‚Probavit non rempublicam suam esse, sed se reipublicae'. De benef. 4, 32, 2: ‚Non rempublicam sibi, sed se reipublicae dicaverunt'.

*Nihil sit tam pretiosum, quod cum discordia tuorum retentum velis.* S p. 219. P f. 17 [b]. Confer simillimam sententiam, quae de clem. 1, 19, 7 legitur: ‚Nihil cuiquam tam pretiosum, quod non pro salute praesidis sui commutatum velit', ad quam verborum constructionem cf. ep. 10, 1.

*Tu vivis tamquam nunquam moriturus, tu tamquam statim; uterque peccatis: tu enim de hodierno, tu de crastino nihil cogitas; itaque vive tamquam victurus et rursum vive tamquam moriturus.* S p. 220. De eadem sententia Seneca haud raro disseruit, velut in ep. 1, 2: ‚Fiet, ut minus ex crastino pendeas, si hodierno manum inieceris'. Ep. 12, 9: ‚Crastinum si adiecerit deus, laeti respiciamus. Ille beatissimus est et securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine exspectat'. Dial. 10, 9, 1: ‚Maximum vivendi impedimentum est exspectatio, quae pendet ex crastino, perdit hodiernum... protinus vive'. Cf. dial. 10, 7, 9. ep. 45, 12. Praeterea similes locutiones leguntur, qualis est *sic — tamquam.* ‚Sic vivere tamquam': ep. 10, 5. 25, 5. 30. 5. 32, 1. 63, 3 83, 1. (Cf. ep. 14, 2. 61, 1. 67, 2. dial. 6, 10, 3. de clem. 1, 1, 4).



*Obiurgationibus aliquid blandi admisce; familiarius enim et altius penetrant, quae molli via vadunt. Insectatio ipsa moderata sit; nemo enim se mutat, qui mutari se desperat.* P f 22 [a] M 129. Haec sententia omnino et singulis vocabulis conspirat cum eis, quae ep. 38, 1 sq. leguntur: ‚Plus habent strepitus, minus familiaritatis... consilium nemo clare dat... ad haec submissiora verba veniendum est . facilius intrant et haerent'. Nat. qu. 3, 30, 3: ‚aliqua causa penetrare altius cogit'. Dial. 12, 18, 8: ‚altius descendant'. Cf. de ira 1, 6, 3. 2. 21. de clem. 1, 14, 1.

*Sit aliquis bonus an videri velit, conversantibus cito apparebit; nunquam enim bonitatis longa simulatio est.* S p. 228. Ep. 79, 17: ‚Nulla virtus latet.. nihil simulatio proficit'. De ira 3, 8, 1; ‚Sumuntur a conversantibus mores'; cf. ep. 94, 40. 108, 4. De clem. 1, 24, 1: ‚cito apparebit'.

*Pecunia si uti scias, ancilla est; si uti nescias, domina.* S p. 224 P f. 19 [a]. Eadem verborum constructio invenitur dial. 10, 2, 1: ‚Vita si uti scias, longa est'.

*Satis poenarum est potuisse puniri.* S p. 219. M 69. Eodem modo Seneca adamat sententias suas exprimere, ut dial. 5, 26, 2: ‚Poena maxima factae iniuriae est fecisse'. De clem. 1, 1, 1: ‚Recte factorum verus fructus sit fecisse'. Ep. 81, 20: ‚Recte facti fecisse merces est'. Ep. 90, 35: ‚cuius hoc pretium est non posse pretio capi'. Cf. dial. 1, 6, 5. ep. 97, 14. 102, 19. Ep. 115, 16: ‚nulla enim avaritia sine poena est, quamvis satis sit ipsa poenarum'.

His exemplis ductus hanc quoque sententiam Senecae vindicaverim: *Scire uti felicitate felicitas maxima est.* P f. 22 [b]. Cf. ep. 98, 1: ‚Nunquam credideris felicem quemquam ex felicitate suspensum'.

*Nullae tantae sunt nec vires nec opes, quas non discordia affligat ac distrahat.* S p. 219. P f. 17 [b]. Similiter Seneca scribit de benef. 4, 18, 1: ‚Nihil aeque concordiam humani generis dissociat ac distrahit quam hoc vitium'.

*Perniciosiora sunt odia tecta quam aperta. Itaque minus te inimicus loquax quam tacitus laedit; huius enim ira se nudat,*

*illius occasioni locum captat.* S p 222. P f. 19 a. Cf. de ira 1, 11, 1: ,ira denudat'.

*Quotiens scribis aliquid editurus, scito te morum tuorum populo chirographum dare.* P f. 22 a. ,Chirographum', quod quidem Cicero aliique saepius scripserunt, verbo *dandi* coniunctam, legitur de benef. 2, 23, 2: ,chirographum dare' (cf. ep. 94, 51: ,ad illa reformare chirographum').

*Tam dolori indulgere turpe est quam voluptati.* P f 23 a. Locutio ,voluptati indulgere' scripta est ep. 111, 10: ,Adiximus animum voluptati, cui indulgere initium omnium malorum est'.

*Tantum ad virtutem adicies, quantum ex voluptate detraxeris.* P f. 20 b. Similiter *adicere* et *detrahere* sibi opponuntur ep. 21, 7: ,Non pecuniae adiciendum, sed cupiditati detrahendum est'.

*Tanto melius est non concupiscere, quanto tutior est freto portus.* S p. 224. Cf. ep. 19, 3: ,In *freto* viximus, moriamur in *portu*'.

*Vitandi sunt tales, qui aliis risum, aliis lacrimas movent.**) P f. 22 a. Cf. ep. 29, 7: ,Moveat ille mihi risum, ego fortasse illi lacrimas movebo'. Ep. 82, 9: ,morituro risum movere'. Cf. dial. 9, 15, 3; 15, 5 (de ira 3, 33, 4).

Denique addam tres sententias, in quibus formula *satius est* Senecae mirifice adamata legitur:

*Iacere satius est quam stare, si tibi cadendum scias, quia gravissima pars supplicii exspectatio est.* P f. 22 b. Extrema verba habemus apud Senecam similiter scripta de benef. 2, 5, 3: ,Tormentum ultimum finem sui secum adfert, quod antecedit tempus maxima venturi supplicii pars'. Ep. 105, 7: ,Dat poenas, quisquis exspectat'.

*Satius est severum animum habere quam vultum.* S p. 224. P f. 19 a. Similiter *vultus* et *animus* comparantur de clem. 2, 6, 3: ,vultum quidem nec deiciat nec animum'. Cf. ep. 30, 3. Mart. Dum. form. hon. v. 4, 16: ,Severior esto iudicio ... quam vultu'.

---

*) Verbum *movent*, quod in codice deest, ego ex locis laudatis supplevi.



*Satius est fieri nobilem quam nasci.* S p 221. P f 18 a. Seneca ep. 44 multis verbis amicum suum admonet non a stemmate, sed a virtute nobilitatem proficisci; cf. § 5: ,Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus . nemo in nostram gloriam vixit nec quod ante nos fuit, nostrum est: animus facit nobilem, cui ex quacumque condicione supra fortunam licet surgere'. —

Sed haec quidem hactenus. Me non fugit non defuturos, qui cum ne alios quidem scriptores illas formas et locutiones aspernatos esse dicant, talibus et singulorum vocabulorum et universarum enuntiationum similitudinibus non ita multum tribuant; sed quamquam ex nullius alius scriptoris libris tot tantaque argumenta congeri posse satis confidimus, tamen ad comprobandam opinionem nostram ceteras proferemus sententias, quas ex libris Annaeanis desumptas esse apparet.

Atque aliquot quidem leguntur in codicibus sententiae, quae a Senecae verbis ipsis non multum discrepant, nisi quod in interrogationis et responsionis formam conversae sunt.

*Quid est beneficia dare? imitari deum.* S 206. M 47. De benef. 3, 15, 4: ,Qui dat beneficia, deos imitatur'. Homo Christianus *deos* in *deum* mihi videtur convertisse.

*Quomodo devitabo invidiam rerum secundarum? Si felicitatem tuam paucis jactaveris, multis diviseris.* S p. 222. Ep. 105, 3: ,Sic invidiam effugies, . . . si bona tua non jactaveris'. Cf. dl. 11, 2, 1.

*Quis est pauper? qui sibi videtur.* S p. 206. P f. 17 a M 60. Rem. de fort. X, I ,Pauper sum . Nescis, te opinione, non re laborare . pauper es, quia videris'. Cf. similes sententias, ut rem. fort. 16, 10 ,Felix est non qui aliis videtur, sed qui sibi'. Ep. 110, 20.

*Qui est iucundissimus amicus? coram quo te solum non putes esse. Quis est fidelissimus? coram quo te solum putes esse.* S p. 206. P f. 17 a. Has sententias affirmaverim excerptas esse ex ep. 3, 3: ,Quia interveniunt quaedam, quae consuetudo facit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce. Fidelem si putaveris, facies ... Quid est, quare ego ulla verba coram amico meo retraham? Quid est, quare me coram illo non putem solum'.

Ceterae autem sunt hae:

*Aeque magna dementia est concupiscere mortem quam timere.* S p. 206. P f. 17 a. Ut prima verba sententiae orationi Annaeanae (ep. 74, 29 ‚Aeque magna est‘ et ep. 52, 11 ‚quanta dementia‘) simillima sunt, ita sententiam ipsam ex ep. 24, 22: ‚Obiurgat Epicurus non minus eos, qui mortem concupiscunt quam eos qui timent‘ haustam esse verisimillimum est. Cf. ep. 36, 12. 98, 16. 117, 22.

*Non quam multis placeas, sed qualibus specta. Malis enim displicere laudari est.* S p. 206. P f. 17 a M 8. Posterior pars totidem verbis scripta est rem. fort. 7, 1: ‚Nunc malis displicere laudari est‘; prior autem exstat in Mart. Dum. form. hon. vit. (III, 11): ‚Nec quam multis, sed qualibus placeas cogita‘. Cf. ep. 7, 12. 8, 3. 29, 10.

*Honestius est, cum iudicaveris amare quam cum amaveris iudicare.* S p. 219. P f. 17 b. Ep. 3, 2: ‚Isti vero praepostero officia permiscent, qui contra praecepta Theophrasti, cum amaverunt, iudicant, et non amant, cum iudicaverunt‘.

*Imago animi sermo: inde est illa Socratica vox: talis vita, qualis oratio.* S p. 220. P f. 18 a M 72. 73. Idem legitur ep 114, 1: ‚quod apud Graecos in proverbium cessit: talis hominibus fuit oratio, qualis vita.‘ Cf. ep. 20, 2. 75, 4 sq. 115, 2.

*Vitium est omnia credere, vitium est nihil credere.* S p. 220. P f. 18 a M 77. Eandem sententiam habes ep. 3, 4: ‚Utrumque enim vitium est, et omnibus credere et nulli‘, similem orationis formam de clem. 1, 2, 2: ‚Tam omnibus ignoscere crudelitas est quam nulli‘.

*Multos differentes vitam fortuna decipit; itaque omnis dies velut ultimus ordinandus est.* S p. 220. P f. 18 a M 10. Huius sententiae posterior pars iisdem fere verbis expressa est ep. 12, 8: ‚Itaque sic ordinandus est dies omnis, tamquam cogat agmen et consummet atque expleat vitam‘. Alteram quoque crediderim ex superioribus huius epistulae locis excerptam esse. Passim autem apud Senecam simillimae sententiae leguntur, velut dl. 10, 7, 9. ep. 15, 2 93, 6. 101, 7. Cf. ep. 1, 3: ‚Dum differtur vita, transcurrit‘. Ad verba ‚fort. decipit‘ cf. dl. 12, 5, 4 ‚quem secunda decipit‘.



*Qui somnia sollicite narrant, vigilantes quoque somniunt.* S p. 228. P f. 21 b. Vide, quam similia verba sint ep. 53, 8: ‚Somnium narrare vigilantis est‘.

*Dignus tibi videre, coram quo te peccare pudeat.* S p. 227. Ep. 25, 7 ‚Dum te efficies eum, cum quo peccare non audeas: cum hoc effeceris, et aliqua coeperit apud te tui esse dignatio‘.

*Nihil tibi commiseris, nisi quod committere etiam inimico tuo possis.* P f. 17 b. Quae iisdem verbis scripta exstat ep. 3, 3: ‚Tu quidem ita vive, ut nihil tibi committas, nisi quod committere etiam inimico tuo possis‘.

*Mundum deorum templum puta et tamquam in religioso loco modestius vive.* P f. 21 a. Hanc credo ita ex septimo libro de beneficiis (cp. 7, 3) excerptam esse, ut posterior pars ad praecepta Christiana accommodata sit: ‚Hic respondetur omnia quidem deorum esse, sed non omnia dis dedicata . in his observari sacrilegium, quae religio numini adscripsit . sic et totum mundum deorum esse immortalium templum, solum quidem amplitudine illorum ac magnificentia dignum et tamen a sacris profana discerni et non omnia licere in angulo, cui fani nomen impositum est, quae sub coelo et conspectu siderum licent‘. Cf. ep. 90, 28: ‚Haec eius incitamenta sunt, per quae non municipale sacrum, sed ingens deorum omnium templum, mundus ipse, reseratur, cuius vera simulacra verasque facies cernendas mentibus protulit‘.

*Vota palam suscipienda sunt; quanta est enim dementia deo dicere, quod hominem audire noles.* P f. 22 a. Eadem sententia reperitur in epist. 10, 5: ‚Verum est, quod apud Athenodorum inveni: Tunc scito te omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perveneris, ut nihil deum roges, nisi quod rogare possis palam . nunc enim quanta dementia est hominum! turpissima vota dis insusurrant: si quis admoverit aurem, conticescent. Et quod scire hominem nolunt, deo narrant. Vide ergo, ne hoc praecipi salubriter possit: Sic vive cum hominibus, tamquam deus videat; sic loquere cum deo, tamquam homines audiant‘. Cf. de benef. 2, 1, 4.

Haec habui de illis sententiis quae scriberem. Num pluribus etiam exemplis, maioribus argumentis opus est? Immo vero iam satis ostendisse mihi videor plurimas, ne dicam cunctas sententias praeter illas, quas priore parte huius disputationis aut Pythagorae aut Aristotelis aut septem Sapientium aut Catonis maioris aut alius cuiusdam viri inclyti esse demonstrare conatus sum, ex nullius nisi L. Annaei Senecae philosophi libris depromptas esse. (Cf. pag. 4 sqq.) Ac magna quidem pars illarum, ut supra docui, in ipsis Annaeanis libris, qui hodie quoque exstant, facile invenitur, ita tamen, ut ab eis, qui excerpserint, singula vocabula temere vel omissa vel addita vel interpolata sint. Tempora vero impia et perfida, quae tot artis opera magnificentissima, tot libros memoria sempiterna dignissimos oblivione obruerunt, etiam Senecae philosophi gloriae adeo obstiterunt, ut ex plerisque eius scriptis (cf. Haase, Sen. opp. vol. III. pag. 418 sqq.) nihil iam nisi bona fama et tituli — primum inter ea obtinent locum Exhortationes et Philosophia moralis, quae passim a Lactantio laudantur (cf. Haase, l. l. p. 421 sq.) — superessent, nisi prospero quodam casu nonnulli flores et ii quidem suavissimi, cura librariorum ex eis collecti atque ex naufragio redempti, per tot saecula incolumes ad nostram aetatem pervenissent.